

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0687

0685

0691

0681

0696

0676

0736

0636

0786

0586

0186

Ende

Anfang

114

in Jerusalēm, et ideo solent domini aliquotiens per recreatio-
nem ascendere et in ecclesia fratrum, quae semper est fri-
gidior, discumbere, ad quorum adventum fratres sternunt tape-
tias super pavimentum et cussinos sive pulvinaria super tapetias
ponunt, et domini desuper (224 A) discumbunt ponentes cubi-
tos super cussinos, non enim in terris illis consuetudo est
sedere super scamna, aut super sellas vel cathedras, sed
cuncti discumbunt super terram, et si sunt magni et divites,
sternuntur eis tapetiae. Eis ergo sedentibus fratres appor-
terunt eis collationem in una stannea lance, paximatos con-
fectos speciebus, et de panibus eorum, et lebetum et fructus,
botros, amygdalas et melunas, et aquam recentem pro potu,
quia vinum non bibunt. Ex his cum jucunditate domini illi
manducaverunt, quibus fratres Minores et nos peregrini
astitimus et servivimus, et famuli eorum sarraceni
nobiscum circumstabant. Interrogaverunt vero nos de multis
per interpretem, et responsa nostra cum admiratione audive-
runt, et seriose conferebant ad invicem de auditis. Erant
enim viri maturi, senes, barbati et experti, principales rec-
tores civitatis sanctae et homines personati.

Porro Pater Gardianus die praecedenti miserat duos
fratres de monte Syon in Bethlehem, quos quidam Sarracenus
invaserat in via eosque percussionibus non paucis laeserat
usque ad sanguinis effusionem. Illum Sarracenum accusavit
pater Gardianus dominis illis, qui promiserunt ei, quod eum
vellent punire, eumque taliter tractare, quod amplius nullum
Christianum turbaret. Post querimonias Patris Gardiani ac-
cessimus nos peregrini et conquerebamur de illo Sarraceno,
qui noluit nos in ecclesiam Ascensionis Domini intromittere,
ut patet sub XXVII. die, et petivimus, quatenus indulgerent
nobis, libere loca sancta visitare. Responderunt: quod nihil
deberemus illi dare, qui ostium ecclesiae Ascensionis Domini
observat, nec amplius esset aliquid a nobis postulaturus. De
libera autem locorum sanctorum visitatione dixerunt: habeatis,
inquit, liberam voluntatem eundi, quocumque placuerit, sua-
demus tamen, ut semper aliquem Sarracenum vobiscum habe-
atis ambulantes, ne juvenes insolentes, quos arcere non pos-
sumus, vos molestent. Et ita transivit illa dies, in qua tam

